NICRINA
ad
HEROAS
ANGLOS.

HEIDELBERGÆ.
cIↃ. cI. c. xx.

NICRINA

AD

HEROAS, ANGLOS.

Vcat, an abjiciat calamum Nicrina? Britannos
Quod petit, infestum reddidit hostis iter.
ne tenet spatium Cæsar telluris & vndæ,
Nec supereſt votis præter Inane meis.
ſan & hîc, domini dum paſſim caſtra ſequuntur,
Cæſareæ nobis inſidiantur aues.
tentanda tamen; leuis eſt iactura papyri,
Quodque parùm ſperes, ſors patefiet iter.
plit Hypermneſtra medio de carcere, venit
Scripta per obſtantes litera mille ſeras.
æcus amor, vitæ mihi cura tuendæ
nueniet faciles in mea vota vias.
dique circumſtant miſeram diſcrimina, dextrum
Scylla latus, lævum vaſta Charybdis habet.
aliter Heſione crimen luitura parentis,
Cum foret æquoreo victima pacta gregi,
aliter & monſtris virgo deuota marinis
Andromede cotes & maris inter aquas,
liter extremæ trepidat Nicrina ruinæ
roxima; nec ſpes eſt, pro dolor, vlla fugæ.

Spon-

Sponſus abeſt, qui me ſemper-victricibus armis
Protegat, externam quærere cogor opem.
Rumor it, Heroes, miſeræ ſuccurrere velle
Vos mihi, ſunt qui iam vela dediſſe putent.
Hæret in ambiguo mens inter ſpemque, metumque:
Spem metus, expellit ſpes mihi ſæpe metum.
Tenſa leui quoties ſinuantur carbaſa vento,
Naufragij metus eſt; ſi ſilet aura, moræ.
Et Canis igne furens, & cœli nubila terrent,
Et maris & longæ tædia crebra viæ.
Pallor habet, quoties in vos duxiſſe phalangas
Dicitur Auſonio ſub duce ſævus Iber.
Mille metus cauſæ; ſupereſt ſpes vna ſalutis;
Pro Ioue bellandum, dux erit ille viæ.
Vos properate modò; Nicrum iam poſſidet hoſtis:
Tam vicina nequit ferre ruina moras.
Pergama quid iuvit numeroſo milite ductor,
Auxilium qui poſt Pergama capta tulit?
Expedit incaſſùm trepidans venabula paſtor,
Præda feris poſtquam ceſſit ouile lupis.
Sed quid ego? ſtimulos cur ſtulta ruentibus addo?
Cur aquilæ pennas, Æacidæque pedes?
Vos genus, & virtus heroo ſanguine maior
Incitat, & laudis luxurioſa ſeges.
Non hæc Phaſiacas armatur claſſis in oras,
Vt ſacra Phryxeæ vellera raptet ouis.
Nec petitur vaſtum pellex fugitiua per æquor,
Qui furor Argiuæ nobilitatis erat.

Nec ſocios contra ſtringuntur tela Britannos,
Aut geminis pridem lilia iuncta roſis.
Arma regit pietas. Huic vos incumbitis vni,
Ne rapidis inſons præda ſit agna lupis.
Extremis quæ rebu[illegible]pem fert regia virtus
Creditur & magni numine digna Iouis:
Dum tonat & cœlo minitantes fulmine turres
Diſjicit, afflictis porrigit ille manum.
Nec ſua quæ miſeris ſuccurrit præmia deſunt
Virtuti; hæc multis ſtrauit ad aſtra viam.
Intulit Inachiden cœlo ſubtracta periclis
Andromede; merces hæc pietatis erat.
Hic nitet & Delphin, te qui ſeruauit, Arion,
Et pia quæ Phryxum per mare vexit ouis.
Nant gemini iuxtà piſces: Euphratis in vndis
Hic Veneris, nati portitor ille fuit.
Forſan & hinc aliquis ſuſpectans ſidera, dicet,
Has cœlo impoſuit ſalua Nicrina faces.
Hîc Verius, rutilos illic Oxfordius ignes
Explicat, Eſſexî nec procul inde iubar.
Perſea Gerardus, Geminos vicinia Graij,
Herculis extinguunt aſtra Richea faces.
Digna minùs tantis ſi fors Nicrina videtur
Vindicibus, digna eſt orbis Eliza decus.
Veſter amor quondam, nunc eſt quoque, ſemine Regis
Edita, quem iactat terra Britanna patrem.
Diua Deûm ſoboles pelago iactatur eodem
Quo Nicrina, vehit puppis & vna duas.

Vna duas fortuna manet: manſiſſet Eliza
Soſpite me ſoſpes, me pereunte perit.
Diua perit mecum regni ſpes altera veſtri,
Totaq; natorum turba tenella comes.
Iamq; laborantes Regis cum prole nepotes,
Auxilio, clamant, terra Britanna, veni.
Nata per, heu, functæ cineres & buſta parentis
Vos rogat, hi per quæ ſceptra tuetur auus.
Quodq; rogant ſperare iuvat; iunctura Nicrinæ
Tameſias omnis creditur hora rates.
Non procul, adſcenſu facilis, Rhenumq́s, meaſq́;
Vndiq; deſpectat collis amœnus aquas.
Sæpe moræ impatiens natorum maximus illinc
Vos cier, appellans nomine quemque ſuo.
Veſtra putat quæcunque videt puer agmina, puppes
Sæpe Palatinas vela Britanna vocat.
Has avus, has, inquit, mihi mittit avunculus alnos,
Hæc pater, illa tibi lintea mater habe.
Credulus ille quidem, ſed quæ ſe cernere credit,
Debita littoribus vela fuere meis.
Haiæ gentis honos pridem Dancaſtrius omnem
Hanc pepigit, quam nunc ferre paratis opem.
Sancta fides illi; priùs hæc quàm pacta ferantur
Irrita, Sol verſis ſponte vehetur equis.
Nulla timenda mora eſt; tamen vt mihi nulla timenda
Sit mora, quod facitis, vos properare precor.
Quam citat aura ratem fas eſt impellere remis;
Fas feſtinanti ſubdere calcar equo.

Suadet

Suadet iter tempus, lætis dum meſſibus æſtas
Eſt grauis, & longi ſtant ſine nube dies.
Terra viam cœlumq; iubet iam carpere, Nereus
Ipſe pater tutum per mare præſtat iter.
Qui ſtruit inſidias tergum venientibus hoſtis
Vertet, & externo quæret in orbe fugam.
Haud aliter trepidant aquila veniente columbæ,
Aut lepus inſtantis cum fugit ora canis.
Nil opus eſt armis; Verij terrebitur vmbrâ:
Hoſtibus hæc veſtris Gorgonis inſtar erit.
Hæret fixa animis Europæ Oſtenda ſepulchrum,
Heſperias Verio quæ duce fregit opes.
Hæret & hærebit ſemper Neoportus, & ingens
Hoc duce Flandriaco littore fuſus Iber.
Tu quoque virtutis patriæ non degener hæres
Vel ſolo, Eſſexi, nomine terror eris.
Ardua nulla via eſt, ducibus via nulla Britannis
Inuia; feſtini vos celerate modò.
Quamq; timens vobis, Heroes, mitto ſalutem,
Hanc mihi, ne peream, vos citò ferte, precor.

V. N. O.

FINIS.